



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Divinum De Praesentia Dei

Arias, Francisco

Herbipoli, 1612

Qvam Nobile Et Salvtare exercitium sit, Deum in actionibus suis
præsentem sistere. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50314)

6 FRANC. ARIÆ EXERCIT.
QVAM NOBILE ET SALV-
tare exercitium sit, Deum in actio-
nibus suis præsentem
sistere.

C A P. I.

PERMVLTa quidem præstan-
tissima iuxta ac vtilissima sup-
petunt media & exercitia ad
perfectas virtutes cõsequendas,
nullum tamen meo iudicio præ-
stantius vtiliusque est hoc iplo de
quo agimus, si quemadmodum
conuenit instruat. Quicquid
enim boni alijs inest, in hoc vno
quadantenus continetur: quic-
quid cæterorum beneficio in vi-
ta spiritali efficitur, huius quoq;
opera obtineri potest. Hoc vnũ
seruum Dei & incitat, & excitat,
& inflammat, vt reliqua omnia
media re ipsa exercent, vt subsi-
dia ad veras solidasque virtutes
com-

com-

comparandas necessaria vel salu-
 taria præsto sint, vt lumen diui-
 num, ad illustrandam mentem,
 & robur ad impellendam volun-
 tatem à præfente diuina maie-
 state affiduè impetretur. Atque
 hac ratione fit, quod diximus, vt
 hoc exercitium sit cæterorum
 omnium quasi summa & anace-
 phalæosis. Si ergo seruus Dei, sui
 profectus spiritalis cupidus re-
 formidet, ne forte obliuiscatur
 tot salutarium mediorum, quæ
 ad parandam vitæ spiritalis per-
 fectionem necessaria esse, vel à
 viris pijs audiuit, vel in libellis si-
 ue meis, siue aliorum lectitauit,
 meminerit saltem huius, & re
 ipsa exerceat; hoc enim studio
 efficiet, vt reliqua omnia, quæ
 obliuione sepulta videbantur, in
 mentem recurrant, cùm opus fu-
 erit. Rursum, si quis desiderio

8 FRANC. ARIÆ EXERCITI
ardens placendi Deo, eiusque di-
uinæ voluntati in omnibus ob-
sequendi, post perlecta in spiri-
tualibus libris tot documenta,
monita, & media ad vitam san-
ctam religiosamque ducendam
congruentia, animo deiciatur,
quasi impossibile sit tam multas,
tamque varias exercitationes v-
surpare, is animo sit forti & ere-
cto: ecce vno antidoto omnem
difficultatem abstersam. Vni
huic exercitationi, qua de lo-
quimur, opitulante diuina gratia
se serio dedat, ac deprehendet
sic cor suum amore cœlesti ac-
cendi, & cum diuina voluntate
conformari, vt omnia illico me-
dia & remedia, tum ad quasuis
virtutes exercendas, tum ad vi-
ria, tentationesque, licet graues,
expugnandas, prout occasio eas
obtulerit, vltro diuinitus sint oc-
cursu-

cursu-

cursura. Deus siquidē ei, qui se
 præsentem cōtuetur, & in quem
 omnem cordis sui fiduciam con-
 iicit, auxiliumque implorat, op-
 portunè suo tempore & loco,
 quid facto opus sit suggerit, lu-
 menque & efficacitatem ad ex-
 ercenda necessaria media sub-
 ministrat: nunquam enim Deus
 cœlestis suæ gratiæ opportuno
 præsidio eos destituit, qui in suæ
 diuinæ maiestatis conspectu &
 præsentia, quemadmodum con-
 uenit, vitam traducunt.

QUANTO PERE IN DIVINIS
 literis, Patrumque, sanctorum scriptis
 commendatum sit hoc exercitium,
 quamque, singulare studium in eo po-
 nere debeat Dei seruus sui
 progressus cupi-
 dus.